QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. NOVEMBRIS,

M. MICHAELE TOVTAIN Doctore Medico, moderatore.

817.

Eſtne totus Homo à natiuitate morbus?

AN immeritò vita à luctu & planctu? hoc edimur omine primigenio vtrique par[...]ciali, quo mentis & corporis affectus reteguntur ſibi viciſſim compatientes. Itáne homo ſuperbum animal tot morborum iliadibus deprimitur, vt præſtet ei non naſci aut [...]nè aboleri? Plurima exitii ſui certa & tuta ſigna, ſalutis infida & incerta, vt ſeptimo ab infante nato die veteres nomina imponere noluerint: ab ortu ſiquidem ad interitum [omni]bus ingenita eſt natiua corruptio, cauſis ſuffulta promiſcuis atque diſſonis. Pugnant inuicem elementa in mixto, vnum ab alio abigitur, ab eodem effertur. Mixtorum & elementorum mutuæ ſunt in ortu & interitu viciſſitudines, nulla tamen in qualibet viuentium parte exquiſita temperies, functionibus edendis inefficax, vitæ noxia; vt cuius in calido humido permanſio, ſic in extinctione, mortis imperium: corporis etenim cuiuſcumque partes ſatu & conuictu diſcretæ, appoſitam ſibi & actionibus edendis præpotentem conciliant temperiem, non ſtabilem ſed fluxilem, & in omnes corruptionis gradus propenſam: hinc lapides, metalla, ſtirpes & inanima omnia crebris mutationibus deteruntur.

SVBLVNARIVM vt à ſemine ortus omnis, ita ab eodem naturalis infirmitas, qua[...] ſeriùs ſeriúſq; ad extremũ corriuatur: iſquidẽ ex partium ſimilariũ & organicarũ εὐρυθμίᾳ in congrua tẽperiei analogia & decẽti cõformatione: hęc verò in ἀῤῥυθμίᾳ τῆς οὐλομελίης τῆς συμ[...] [...]ſita tẽperie & corruptione in qualitate aut quãtitate. Sũtne ἔναιμα ἀναίμοις, aquatilibus terreſtria, vt homines, elephantes, cerui μακροβιώτερα? Cur non calidarum plagarum incolæ alg[...] partibus vt mares feminis πολυχρονιώτεροι? A calido humido pingui & aëreo debita copia temperatis vitæ periodus producitur quam tenue & aqueum accîdit: hinc corpora alia maiora, quædam minora, priſcorum proceriora & morbis minùs obnoxia; quia genuino rore quo luxuriabant velut tenaci glutino firmiora. Ex proceris nõnũquam pumiliones, & ex pumilionibus proceri: priſcis ſæculis ingenia acutiora, prudentiora, vt qui loca colunt edita, calida frigidis ſapientiora. Quæ naturâ cunctanter creſcunt, prolixè viuunt, vt pinus, olea, palma; quę celeriter adoleſcunt perniciter occidunt, vt ceraſus, prunus, malus perſica: omnia tamen corruptionem amplectuntur externis & internis mancipata motibus; illi, corporum cæleſtium influxus ſyderúmque aſpectus benefica aut noxia virtute comitantur, ad quos ambientis aëris & loci bonitas aut inclementia frequenter aſpirant: hi, quibuſlibet in viuentibus internum curculionem in pręcordiis perpetuò gerentibus ſuccorum repugnantium alienatione inteſtinum excidium moliuntur: vnde peſtis nunc in armenta in has vel illas pecudes, nunc in volucres & piſces graſſatur. Annon arbores & plantæ morbis etiam ſunt opportunæ? quid enim genitum caret his malis?

CALOR & humor nullo cibo reparabiles bellũ inteſtinũ fouent mutua actione & paſſione: ſemini & menſtruo à quibus vt morboſa ineſt διάθεσις, ſic μοῖρα πεπρωμένη: maximè ab innata vtriuſque temperie in omne putredinis genus procliui. Putrent expeditè calida & humida, nulla aut minima in frigidis & ſiccis partibus mutatio. Grauiora patiuntur virgines & viduæ ſenioribus menſtrui & ſeminis incommoda: inexpugnabilis eſt hyſterica affectio, ne quidem frequente συνουσίᾳ, ſpiratione & pulſu interceptis à ſuppreſſo menſtruo aut ſemine, quod in vtero corruptum & veneni vires ſortitum infinita inuehit ſymptomata. Ex hac [...] prodeunt morum & morborum opportunitates arte Medica inſanabiles. Nobili ſtirpe ſati, heroes & illuſtres viros non rarò procreant, fatuos nonnunquam in dedecus: alium natura, alium doctrina parit. Magna ingenia vt multum libidinis, ita dementiæ aliquid ſapiunt. Gentilitium quibuſdam familiis, podagricam, epilepticam & phthiſicã prolem ſuſcipere. Annon populis & vrbibus latẽt morborum ſeminaria? ſolum Pariſienſe crebrum calculoſis, podagricis, herniis & aluis profuſioribus; Pictauienſe colicis doloribus ſæuiſſimis. A cõcepto aut inchoato fœtu, ſtatim mille tædia, malacia, cephalalgia, animi & corporis anxietates, febres omnis generis, ſanguinis detractione ſanabiles matrem adoriuntur, quibus fœtæ morbis fœtus vt plurimum effœtus condolet, afficitur, aut vterque concidit.

LVCTVS & planctus infantis recẽns nati comites, ille præſentis ſocius, hic futuri mali prænuncius, nudus naſcitur, inermis, ἄφωνος, ἄλογος, ἄμυσος, dum educatur nulli rei opportunus, alieno nutu & auxilio indigens: adſtant illi vbique inſidiæ; nullibi induciæ à rebus non naturalibus, quibus oleaginoſa ſubſtantia quotidie decreſcit, deteritur & tabeſcit: hinc per ætates dubia valetudo. In ὀδοντιάσει dolor acerbiſſimus, vnde impotentes cruciatus & à concitata putredine febris acuta phlebotomiâ ſedanda; conuulſiones, epilepſię, anhelitus ſuſpirioſi, diarrhœæ, à ſeroſis & crudis egeſtionibus proſiliũt: ab ea ſpurcitie fœdatur tota facies, vt & caput multa ſcabie, puſtulis, vlcuſculis, & ſaliuatione multa, quæ puerulum ab apoplexia, morbillis & variolis in poſterum vindicant. Ineunti ætati, ecthymatum, exanthematum, calculorum, lumbricorum omnis generis fœtura eſt: puerorum ętas dolorum atque malorum adeo vndique ferax, vt ad pueritiam reuerti nullus expetat. Odi pueros præcoci ſapientiâ. Multa vi in mores & humores pollent victus parcitas aut ingluuies; hinc pinguis venter acre ingenium non parit, ac conſilij & rationis odioſa eſt λαιμαργία, ſtultitiæque fit parens; hinc ſanguinis profluuia, diuturnæ & contumaces febres impuræ plenitudinis ſoboles, aliáque ab ætate vitia maximè cùm incipiunt τραγίζειν aut κυαμίζειν, quæ diebus, menſibus, aut annis iudicantur.

MORVM & humorum ab indole diſſenſus plurimus, non ætatum merito ſed diætæ vitio: ſanguinis catullientis orgaſmus φιλολάγνους ac νεογάμους inducit aſſiduis voluptatibus pallentes: hæc morborum fomenta κρᾶσιν corporis retexunt: nam ſanguis qualitate & copia exundans hæmorrhagiam, anginam, febres tum acutas tum periodicas nullis ſpecificis aut frequentibus catharticis debellandas, ſed venæ ſectione curandas inuehit. Iuuenum natura et virium robore ſic conſiſtentium ſapientiâ, iudicio maximiſque rebus obeundis alias ętates præcelleret, niſi ſucci melancholici à bile cremati ferina qualitas inſaniam aut melancholiam vere & autumno ſæuientem, nec ſtibio aut elleboriſmo curabilem pareret; tumor tamen lienis ſalubris corporis eſt indicium. Melancholia mẽtis infractio cum iugi metu & mœrore apoplexiam per hęmorrhoidas inſanabilem, lethargum à phrenitide funeſtam, quartanas Saturni filias ceraſis non cedentes, πλανήτας, hydropum genus omne accerſit: hinc diarrhœæ, lienteriæ, dyſenteriæ à quibus defunguntur ſi conuenienter ductæ hæmorrhoides plethoræ & melancholicæ cacochymiæ ſint purgatrices: & quamquam ſenes minùs quàm iuuenes morbis ſint obnoxij, à peſte immunes, & parotidibus vix intereant, eos tamen multa circumueniunt incommoda: genus omne catarrhi patiuntur, grauedinem coctionis expertem, dyſpnœam, ſtranguriam, nephritidem, articulorum dolores ſequiunt, pruritus ſtimulant, vrgent vigiliæ, vertigines apoplexiæ prodromi, oculi & nares exuberanti defluunt humiditate, hebeſcunt viſu & auditu, corpore graues & ignaui, vt ſilicernio ineſcati videantur. Hîc humanæ vitæ ęrumnarum limites ſtatuantur, hîc dolorum & morborum riui claudantur, ad quos nemini datur regreſſus.

Eſt ergo totus Homo à natiuitate morbus.

264.

Proponebat Lutetiæ DVRANDVS FRANCISCVS YON Pariſinus, A.R.S.H.M. DC.XXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Chreſtien.	*M. Georgius Ioudouyn.*	*M. Gabriel Biard.*
M. Gilbertus Puylon.	*M. Hugo Chaſles.*	*M. Ioannes Degorris, Med. Reg.*
M. Victor Pallu.	*M. Nicolaus Heliot.*	*M. Renatus Chartier, Med. Reg.*